

QK. 311.

v. Promnitz

Z d
4420

ILLVSTRIS DOMINI
SEYFRIDI
PROMNICII
Baronis Pleffensis; Sora-

uiæ, Tribellii & Hoierswerdæ
Domini, &c.

Heróis fortissimi, Vita.

Scriptore

MARTINO OPITIO.



B R E G Æ

*Ex Officinâ Typographicâ Augustini Grunderi.
M. DC XXIV.*

hst 5502X

K. 311. Q.

Handwritten number: 7350 no 215 8

Handwritten number: 116 113



Fragment of text from the adjacent page, including a decorative border and the words: qu, ru, pfo, bit, du, de, te, qu, ser, fui, cus, app, po.





Perillustri Domino

IOHANNI VLRICO DE

SCHAFF-GOTSCH, BARONI

Trachenbergæ; Greiffenstenii, Kinasti

et Chemnitii Domino, &c.

S. D. Martinus Opitius.



Vi res gestas domi forisque memoria dignas literis mandant, Per illustris Domine, arduum & maius quam pro captu & opinione Vulgi opus aggrediuntur. Cum enim veritas præcipua historiarum lex & quasi anima sit, obscurus de iis quæ ante nos acciderunt rumor, incertaque aliorum qui priora tempora descripserunt fides, quid sequi aut quid non sequi debeamus dubitare nos semper facit: sui verò æui fastos posthabitis adulationibus, aut invidia studioque erga partes omisso, condere, periculo nunquam caruit. Legimus Tiberio regente Cremutium Cordum, quod editis annalibus, laudatorem M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset, à corrupto fædis assentationibus Senatu postulatum fuisse, & mori iussim. Domitiani sæuitia Linus Rusticus, quod Pæti Thrasæ & Heluidii Prisci laudes edidisset, appellassetque eos sanctissimos viros, Metius item Pompeianus, quod habere Imperatoriam genesim vulgò fe-

A 2

rebatur



rebatur, & quod depictum orbem terræ in membranas, concionesque regum ac ducum ex Tito Liuiio circumferret, interempti sunt. Tam ingenti odiò alienas virtutes prosequuntur, qui de suis gloriari non possunt, & ne nominare quidem alios ea volunt vitia, quæ ipsi committere non verentur. Rependit tamen sua cuique merita Posteritas, & vt Caligularum, Neronum similiumque monstrorum detestandi mores in ore oculisque omnium quandiu libri erunt versabuntur; ita optimorum clarissimorumque hominum vita rectè acta scriptorum beneficio sempiterna gloria efferetur. Extabunt certè olim, qui nostri etiam temporis bella fortunamque, de quibus ob liuorem aut potentiam partium nemo adhuc, quod sciam, ea qua decet libertate animi ac generositate locutus est, remoto velo ita describent, vt facilè quiuis deprehendere possit, quorum emergendi libidine, auidia, ambitione aliisque sceleribus diuinarum pariter humanarumque status rerum vulnus acceperit grauissimum. Non enim stabit per eos, qui creditos omnes cum ipsa literarum bonarum memoria occasione armorum ciuiliū opprimere conantur, quominus dicta vniuscuiusque, facta & consilia, obscuris reconditisque chartis credita, tandiu incorrupta conseruentur, donec minori cum discrimine, maiori que cum fama per vniuersum orbem terrarum legi possint. Interea vel tenues earum rerum scintillas spargamus, quæ maximo postea bonorum gaudio frementibus nequicquam veritatis pariter & artium liberalium osoribus, radios Sose ipso clariores emittent. A me, Domine, Seyfridi Promnicii, summi,
siue

siue bella siue togam spectes, viri, vitam nunc accipe: quæ
vel idè publicæ luci tradenda est, vt melius de nobis sen-
tire discant exteri nonnulli, qui ob paucorum quorun-
dam tergiuersationes, vt lenissimè dicam, & res minus
feliciter gestas, antiquum illud Germanorum robur ce-
leberrimamque fortitudinè ac virtutes periisse fundi-
tus opinantur. Quorum maligna prauaque iudicia
Promnicius refutabit sat scio: ita in exemplum trahi me-
rentur, quæcunquæ incomparabilis heros vnquam susce-
pit. Producantur licet quotquot ob armorum peritiam
nostris aiorumque temporibus laudem vel amplissimã
adepti sunt: nemo, inter labores etiam militiæ, prælia,
victorias, lituos & castra, tot pacis artes coniunxit. Con-
currant omnes artifices, omnes illi qui singulari quodam
genio ducti huius aut illius scientiæ negotiorumque vr-
banorum peritiam supra ceteros iactitare possunt: Prom-
nicio inter remissiones atque lusus ista fuerunt, & ne
nihil interdum ageret, hoc egit. Quare cum viderem, tot
tamque mirandas eius dotes describi ex merito à me nō
posse, imitatus sum illos, qui vastæ huius machinæ, quem
mundum vocamus, imaginem exiguæ tabellæ ambitu
exprimunt, & lectoris censuræ reliqui, quicquid meam
excessit. Sume ergò ea humanitate qua, positus quamuis
in tam eminenti rerum fastigio, vt erga cuiusuis ordinis
homines soles, Promnicii tui vitam, hoc est, veram ea-
rum virtutum effigiem, quas in te quotidie contempla-
mur & colimus. Neminem antea habebas quem imitari
poteras quàm illum; nunc postquam ad plures abiit ne-
minem quam te ipsum; ita reliquos non generis saltem

splendore fortunæque muneribus, verùm iis etiam rebus
vincis, quæ maiorum imaginibus diuitiisque omnibus
meritò anteferuntur. Et diuulgari sub illustrissimo no-
mine tuo libellus hic propterea etiam debet, quod nemo
virtutes aliorum intelligere melius videatur, quàm qui
eas rectissimè exprimit. Accedit, præter sanguinis & ami-
citæ quæ tibi cum illo erat iura, voluntas hac in parte
tua, Patrone Generosissime, & mansuetum Serenissimi
Domini Georgii Rudolphi Principis optimi imperium;
cuius ipsos nutûs & cogitationes, si possibile sit, obserua-
re me debere hîc etiam profiteor. Nam, vt de plurimis
pauca referam, reuersum me superiori anno è peregri-
natione Dacica, & ob pestis atrocitatem Boleslauiam la-
resque paternos adire non audentem, vltro inter aulae
suae familiares asciuit, eaque hætenus fouet clementia,
vt vivere me ingratum & mori necesse sit. His si tuus
quoque accesserit fauor & beneuolentia, securum magis
quietumque studiis meis quam hucusque otium, eam-
que mihi vitam spondere audeo, quæ tranquilla mente
& absque strepitu atque inuidia inter negotia Musarum
& curas eruditiores diffluat. Vale, præclarum Silesiæ no-
stræ fidus, cum insigni heroina Celsissima Coniuge tua;
quæ cum suauissimis duobus vestri coniugii flosculis ter-
tium etiam nuper felici partu adiunxerit, ob hoc deuota
tibi mente gratulor, Deumque immortalem etiam at-
que etiam oro, ut maioribus indies beneficiis splendi-
dissimam domum vestram familiamque foueat, & cle-
menter conseruet. Ex thermis tuis, secessu Musarum
gratissimo. Kalendis Iuliis, Anni M. D. C. XXIV.

Illust.

Illustris Domini
SEYFRIDI PROMNICII
Vita,

Scriptore Martino Opitio.

Eximia magnorum hominum facta, & virtutes celebra-
re cum necessitas quaedam, tum ipsa quodammodo ratio
iubere nos videtur. Honestum enim est, iis qui aut publi-
cè aut priuatim humano generi profuerunt, vel hoc saltem modo
gratias referre, & isto quasi fomite aliorum etiam egregios cona-
tus ad optima quæque erigere. Quia verò viuentes adhuc lau-
dare livor & inuidia, perpetui rerum magnorum comites, ve-
tant; rectè & ordine hoc pietatis officium tandiu differtur, donec
nouissimus ille exitus viam atrectandi benemeritos calumnie
præcluserit. Ceteras quidem circa tumulum ceremonias contem-
nendas non esse nemo negauerit: solius tamen ferè miseri cada-
ueris gratia instituta sunt. Sed laudationes & panegyrici ani-
mum ipsum & mentem, illam immortalem nostri partem, con-
cernunt. Et hunc defunctos commendandi morem illi etiam, qui
vero Dei cultu non fuerunt præditi, religiosè admodum obser-
uarunt: id quod tam ex Græcis quàm Latinis aliisque autori-
bus manifestum est, & tot inscriptiones ac marmora, quæ ex me-
dia antiquitate etiamnum passim supersunt, abundè testantur.
Nostris verò temporibus quanquam consuetudo ista ferè sit aboli-
ta, (penuria eorum credo qui laudari meruerunt) Illustrissimo-
rum tamen virorum iussu, & quia publicè interest, hoc sterili
virtutum seculo tam rarum decus enituisse non ignorari, Seyfri-
di Promnicii fortissimi herois vitam, quantum de ea quidem
mihi compertum est, paucis sed veris verbis & absque furo com-
memorabo.

Seyfri-

Seyfridus itaque Promnicus genere ab ultima origine nobilissimo ortus patrem habuit sibi cognominem, strenuum virum & qui ob praeclaras animi dotes consiliarii titulum apud Imperatorem meruit. Res eius ab initio minus abundantes Reuerendissimus Vir Balthasar Promnicus Episcopus Vratislaviensis, ex cuius singulari beneuolentia Sorauiam & Tribelium legitimus heres nactus est, insuperque Sagani, Pribusii et Naumburgi creditor hypothecarius asscitus, in opes non contemnendas traduxit. Neque minorem à materna familia dignitatem obtinuit. Mater enim Ursula Gotschia fuit, perantiqua, quod nemo non nouit, praecipuaque stirpis, Iohannis Gotschii, qui maxima cum laude sub Sigismundo II. Polonorum rege stipendia fecit, & Hedwigis Promnicie, episcopi Balthasaris, cuius paulò ante mentionem fecimus, ex fratre neptis, filia; quae secundo cum priore marito coniugio, quod quinto & decimo aetatis anno iniiit, viginti, cum altero quatuor liberos in hanc lucem edidit. Ex illo Seyfridus noster, Anno M. D. LXXIII. die Februarii XXI. Vratislavia post occasum ferè Solis natus est.

Educatus primùm in matris, singularis exempli rareque virtutis femina, sinu cultum honestarum rerum & amorem cum ipso lacte suxit. Iuuit postea naturam & indolem praestantissimam magistra studiorum Brega, ludo literario inter paucas alias etiamnum apud nos celebris, & cui eximios omnium ordinum viros passim debemus: Ita multum interest, ubi & à quibus erudiaris. Inde Rhadecium Reginae oppidum Bohemiae non ignobile doctrinae pariter & addiscendae istius linguae gratia cum fratre Weigharto, qui aetate aliquantum prouectior erat, se contulit. Hic exorto quondam tonitru, cum generosus quidam adolescens ex gente Saltziorum inter hos fratres medius fulmi-

fulmine tactus concidisset, ipsi prorsus illesi, singulari conseruationis diuinæ exemplo, abierunt. Domum reuersos Witebergam pater anno M. Io. LXXXV misit: ne, ut fieri ferè apud nos solet, ea quæ multo cum labore hætenus sibi acquisiuerant, in umbra patriæ & otii licentia dediscerent. Biennio post moderatore studiorum Tobia Pommero Leobergensi celeberrimam Italiae Academiam Patavium petierunt: qua relicta cum Romam videndi animo mari se quondam credidissent, concitatis derepentè tempestatibus fractâque naue tantum non absorpti sunt.

Annis tribus hoc itinere peractis patria eos rursus excepit; ubi cum aliquandiu commorarentur, maturiore iam ætate, quæque ad certa studia vergere seriò consuevit, diuersitas ingenii quæ inter fratres erat facillè parentibus innotuit. Weighardo enim arma libris ferè preferente, & in Belgium, illam id temporis officinam Martis & theatrum, tendente, Seyfridum, qui & progressus non contemnendos in studiis literarum dudum fecerat, & præclara quæque minari ulterius videbatur, ad urbem Antenoris, cuius desiderio semper tenebatur, migrare denuò passi sunt. Quem locum nactus ubi rebus suis vacare absque impedimento posset, triennio integro inde se non commouit; verùm nostris etiam artibus ciuilique scientiæ equitandi peritiam insuper & armorum, singulari apud æquales laude, coniunxit. Mandato domum patris reuocatus, Vienna ex itinere, in quo casu infelici brachium fregit, Strigonium, robustissimam Pannoniæ ad Danubium urbem, deflectit; quam tum milites nostri, duce belli Carolo Mansfeldio, profligato prius fortiter exercitu Turcico, qui solutū obsidionem venerat, & cæsis quinque hostium millibus, ingenti que præda recepta, in deditiōem redigebant.

Hic cum pulcherrimis nostrorum factis, quos grauissimi ducis tenax disciplina & inuicta magnitudo imprimis excitabat, incensus militarem spiritum hausisset, maiorumque famam &

B

immor.

immortale nobilitatis imaginumque decus, armis potissimum partum, cogitaret, honorifica futura gloria cupido magnum aliàs & summa quaeque secum volentem animum facile intrauit. Vix itaque domi paullum moratus, parentibus licet quasi inuitis, in Pannoniam reuolauit; prima hic castrorum rudimenta contra fatalem Christiani nominis hostem approbaturus. Sed equis, sarcinis & impedimentis, quae fortuna belli est, paullò post amissis, morbo item Hungarico, quem vocant, praegravante, Plessam, haud procul Vistula oppidum ante conflagrationem miserabilem non inelegans, & toparchas ex testamento Baltharis Episcopi Promnicios nactum, reuersus est.

Defuncto anno M. Is. XCVII. patre, cum ex testamento eius ad Seyfridum simul & Weighartum fratrem Hoierswerda, baronatus in Silesia & Lusatia finibus situs, deuolueretur, a quo redituus fructibus ambo primum usi sunt. Sed Seyfridus curam rei familiaris priuataeque vitae obscuritatem, natus ad actiones publicas, patienti animo vix sufferebat. Itaque, cum ne integro quidem biennio socordiam hanc, ut ipse credebat, & vitae clarioris neglectum fouisset, pactus certam pecuniae summam fratri bona ultrò reliquit, seque totum studiis armorum, quae tunc in Dacia maximoperè aestuabant, immerisit. Quo fauore apud eos penes quos imperandi arbitrium erat, quaque existimatione apud ceteros cuiusuis ordinis tum vixerit, non est meum hic referre. Nam ob concredita nondum clarioris loci munera, ad quae illum non vigor animi et alacritas, quae illi nunquam defuere, sed usus & exercitatio aspirare adhuc vetabant, eminere altiùs minimè poterat. Et priuato militi conscientia rectè factorum sufficere debet: ad ducem gloria omnium refertur. Anno tamen altero statim ex quo militiae nomen dederat, mille peditum legatus sub Hectore illo nostri cui duce Teschinensi Adamo Wenceslao, imperatore Georgio Basta, qui tum Casari rem gerebat, factus est.

Libet

Libet hic recordari singulare Daciae miserabilis fatum; vix scilicet unquam à tot seculorum memoria, quotquot apud veteres novosque scriptores recensentur, regionem istam belli expertem fuisse. Huc virtus Romana maximas non raro vires suas transtulit, & ambiguis subinde praeliis fatigata cum quibus sibi negotium esset satis edocta est; donec suppressis incolis ipsa, quòque post annorum vix ducentorum imperium à gente barbara eiiceretur. Scilicet ut satisfaceret acerbitati fatorum, rapinas auaritia & regnandi libidine aliis ereptas repetentium, ab ipso Caspio mari transferenda ferocissimorum Scytharum arma huc erant! Ne de Saxonum irruptionibus dicam; qui ab octingentis aut praterpropter annis has sedes tenent, & nomine, moribus ac lingua Germani tam dissitis oris tantum non imperant. Ac mihi quidem de causis tam pertinacis ob incerta belli miseria nonnunquam cogitanti, adhibuisse providentia Numinis hoc frenum illis populis videtur, ne regionis fertilissima abundantia opibusque freti reverentiam sui metumque, quod rebus secundis fieri consuevit, animis prorsus excutiant. Itaque nostro etiam ac patrum auro nusquam fortasse acerbius pugnatum.

Et eo quidem tempore, ut ad incepta redeamus, cum Promnicius hic fortitudinem suam experiretur, quid, per Deum immortalem, non actum est? Tradiderat Sigismundus Bathorius, quod hoc magno rei Christianae bono fieri crederet, tollendaque insuper prolis spem sublatam esse sentiret, Casari Transylvaniam, Oppolia & Ratiborii Principatu Silesiae, qui compensationis loco cum certo quotannis redditu ei offerebatur, pedem fixurus: facti postea subito poenitens repetit quod reliquerat. Hic cum plurimum turbarum dedisset, mirasque concitasset tragedias, contractum priorem rescindere se nolle promittens legatos hanc ob causam ad Rudolphum mittit: paullo post Andream patruelem suum Transylvania donat, Turcasque etiam, ut de-

fensionem eius suscipiant, irritat. Sed Michaël Walachia despota fuso Andrea Cardinale regionem totam Imperatori recuperat. Cum verò postea imparem meritis suis gratiam rependi existimaret, simulatesque cum Basta, qui res novas eum perturbato fœdere moliri suspicabatur, non obscure aleret, (quamvis durante iam etiam invidia Sigismundum usque ad Istrum primò, persecutus ingentem ei cladem intulisset, iterumque Germanorum copiis iunctus in Dacia fuis plus XCI. captisque CX. signis fortiter represisset) iussu Basta à subornato ad hanc rem percussore hasta confossus periit, atque nudus sociorumque inops indignum in modum ad vesperam usque sub dio iacuit. Propè Thordam hoc accidit, celebre ob salinas ditissimas oppidum, coloniamque olim Romanorum; ut inscriptiones ibi repertæ, & porta antiquæ urbis in colle eminenti etiamnum integra, evidenter ostendunt.

Grauiissima omninò huius belli expedito fuit, siue incolarum spectes calamitatem, quorum statum, vastatione locorum promiscua, direptionibus urbium & exustionibus, ut tristissima ruina, quas sine commiseratione aspicere nunquam potui, obuia passim satis testantur, necesse est fuisse longè miserrimum: siue nostrorum militum conditionem perpendas, quos non tam triginta Bathorianorum millia urgebant, quanquam hæc quoque; quam fames, inedia, pestis & quicquid aduersitatum instructissimi cuiusque exercitus fatigare patientiam solet, oppugnabant. Prælio contra Bathorium cum Princeps Teschinensis per causam valetudinis interesse non posset, totum Silesiaci exercitus imperium Promnicio committebatur; quem cum fortissimo impetu hostibus opponeret, ac equus quo insidebat globo traiceretur, vix alterius militis consensu saluus perstitit. Hic adeò raras virtutes suas & magnitudinem animi perspicuam omnibus reddidit, ut & singularem apud Balam, profunda mentis

tis virum, quique non temerè aliquem laudaret, gratiam ini-
ret, & inter precipuos intimi eius consilii amicos postea ha-
beretur.

Redacta deinceps breui temporis spatium in deditioem,
à Basta, terrore nominis non minus quam armis, uniuersa
provincia, in Batavianam, ut & horum bellorum rationem, ab
iis quibus hactenus interfuerat diuersam, addisceret, miles
voluntarius sedecim cum equis sese contulit. Non enim v-
num omnibus gentibus rem bellicam administrandi modum
esse nemo negauerit. Belgæ Germanique alii lenta bella
ducunt, pecuniæ magis quam militum prodigi, & non nisi
presenti occasione serè decernunt. Turcarum verò similium
que gentium maximum in equorum pernitate, improuisis
excursionibus, rapinis, incendiis fugaque perfugium est, & ut
calore nonnunquam temerario ardua quæque moliuntur, ita
plerumque antequam speres animos, metu an naturæ ductu, i-
gnoro, remittunt; obsidiones autem neque inferunt facile, ne-
que diu tolerant. Hinc non eadem ubiuis locorum militantibus
contingit felicitas. Quarum rerum documentum esse maximum
potest aduersa clarissimorum etiam ducum fortuna, qui faustis-
simo aliàs sub hac cali plaga successu vsi, sub altera, ob contraria
populi peregrini ingenia, moresque & armorum ac pugne dis-
similitudinem, præter omnium expectationem victi sunt.

Promnicipius à Mauritio Nassouio, cui iam dudum fama,
quæ nihil præclarum latere diutiùs sinit, innotuerat, humanis-
simè in castris exceptus, plerisque etiam generis eminentia su-
perioribus maiori in honore habitus est. Ac Slusarum quidem
obsessione cum interfuisset, illique sese vltro inclusisset, post de-
dicionem, ad quam extrema penuria famesque sermè inaudi-
ta milites adegerat, triremesque decem cum omni apparatus ca-
ptas, neque precibus neque serio Mauritiï monitu absterreri vel-

retardari saltem potuit, quin presentissimo & ob oculos versan-
ti se discrimini libens volens exponeret. Tentabatur eo tempo-
re quantis antehac nunquam viribus illa palestra Martis &
Troia nostri seculi Ostenda; Hispanis Slusarum iactura magis
magisque exacerbatis, obsessis verò robur ab ipsa quasi calami-
tate & imminente momentis omnibus periculo capientibus. Hanc
ille tamen urbem, siue ruinas potius urbis & harenam cadaueri-
bus obtruncatorum squalentem dixeris, inter tonitrua tormen-
torum aeneorum & fulmina, quasi rebus undiquaque tutissimis,
pulchritudinem excelsae magnaeque gloriae vehementius quam
caute appetens, vectoria nauicula petiit, & ad portum incolu-
mis exceptus obsidionem tandiu tolerauit, donec illa certis iisque
honorificis ab utraque parte conditionibus solueretur. Dicitur non
potest, quam exquisitissimis eum propterea verbis Mauritio
praefectus opidi Marquetus commendauerit, quibusque passim
laudibus apud omnes extulerit.

Ingruente post hyeme, quamuis aegre dimissus, Hoierswer-
dam, non tam delitescendi gratia, quam ut ad futuram bello-
rum tempestatem omni apparatu instructior rediret, discessit;
vixque paucis ibi mensibus commoratus anno sequenti Belgium
repetere constituit. Et Andream quidem Hindenbergium, me-
chanicarum artium & Geometriae peritissimum mihi que
coniunctissimum hominem, cum equis terrestri itinere premi-
sit: ipse Hamburgo nauigans Dauentriam primò, inde in ca-
stra saluus peruenit. Sperabat tum Mauritius, cuius nomen re-
tulisse sufficiat, cum factorum magnitudinem referre satis ne-
mo possit, certis eum stipendiis in posterum bello interfuturum.
Idemque ut fieret Marchio Anspacensis cum magnis quibusdam
amicis unice expetebat. Sed Promnicus, immortalitatem no-
minis amplissimorumque facinorum conscientiam satis sibi esse
pretii ratus, volonem suis sumptibus egit; ea nihilominus, indu-
stria,

stria, ut cuius facile ostenderet, se gratis etiam vincere aut mori posse: nullis enim belligerandi occasionibus, operis ac laboris inuictus, unquam defuit. In conflictu Mülheimensi imperimis; ex quo thorace galeaque globis quassata, non inultus tamen, vix euasit.

Rebus deinceps ad pacem aut inducias saltem, mentione de his ab ipso etiam Rudolpho apud Belgii Ordines iniecta, spectantibus, equos & impedimenta in Silesiam misit ipse conscio Mauritio Bruxellas ad Serenissimum Austriae Archiducem Albertum se contulit, ibique tanquam voluntarius minister aliquandiu commoratus est: eo sane cum honore amplissimaque gloria, ut optimus & indulgentissimus Princeps, quae laus augustissima huic genti propria est, plane inuitus, & non nisi cum egregia ad Imperatorem commendatione, quam ille tamen, siue satis alioquin conspicua virtute sua fretus, siue alias ob causas, nunquam obtulit, post multas demum preces eum dimiserit. Hic mirari satis non possum, quoties assiduas tanti temporis expeditiones cogito, quadraginta enim annos ferè durauerant, his pro iure in Bataviam suo, illis pro libertate, ad quam ob gestum, ut ferunt, in his oris à legatis quibusdam impotenter imperium, proruperant, pugnantibus, & exacerbatione animorum incredibili utrinque concurrentibus, ea tamen prudentia scientiaque civili usum fuisse Promnicium, ut ad quascunque se partes, scientiae militaris avidissimus, reciperet, non modo nullam male suspicandi occasionem ulli mortalium relinqueret, verum etiam gratiosum se acceptumque redderet omnibus.

Tali modo cum hactenus vixisset, in Britanniam Galliasque, rei bellicae potissimum, cuius omnia arcana diligentia incredibili scrutabatur, linguarumque & exercitiorum nobilium gratia peregrinationem suscepit: detentusque in ea minus quadriennium in Silesiam demum, ingenti suorum applausu letisque gratulationibus exceptus, pedem retulit. Hic cum ad otium & hone-

honestam quamque multo labore meruerat quietem conuersus
priuata cura tranquillitatem unicè spectaret, fama que se tan-
quam subtraheret, magnas, quibus à potentissimis orbis lumi-
nibus, Imperatore præsertim, Archiduce Maximiliano, qui &
cubicularii dignitatem in eum contulerat, & Saxonie Electo-
ribus inuitabatur, conditiones constanter repudiauit. Adeò ut
dubites, quid in hoc viro magis admiratione dignum sit, quod
negotiorum periculorumque semper excessit modum, an quod
honorum temperauit. Potuit & aliis rationibus moueri: legen-
da nimirum maturè vela esse, neque nimium fortuna, nunquam
non antehac secunda, tribuendum; cum præsertim antiquis no-
uisque experimentis eruditus sciret, plerisque maximas ac plu-
rimas bellicas aut potius omnes actiones humanas feliciter ali-
quandiu summaque cum nominis sui gloria administrasse: mu-
tata deinceps in peius priori sorte, siue quod ætas ut corporis ita
animi quoque vires languidiores reddit, non exiguam partem
semel celebritatis fama que iacturam fecisse.

Excusatione verò iustissima niti se tum credebat, cum à
Principibus Silesiæ & Ordinibus, quamuis flagitante bellorum
ciuiliu tumultu ea ingruerent tempora, quibus probare forti-
tudinem suam admirandasque dotes patriæ uniuersæ facile po-
tuisset, sollicitaretur: Solo Consiliarii bellici titulo, nec ultra,
contentus, Armis enim in propria sua viscera seuientibus, ut-
pote que infauis plerunque auspiciis geruntur, commodare
manum sese nolle quauis occasione fatebatur: diris subinde deuo-
uens de testandam illorum malitiam, qui exigua spe lucri aut
ambitione præpostera illecti nullam secum rationem ineunt, v-
bi & contra quos militare velint. Hanc pessimi exempli rem
ab aliquot annis satis, eheu! superque experti sumus; excitante
inter se parricidiale odium, quasi spectaculum exhibere ce-
teris nationibus vellet, Germania, fratribusque, apud quos
plus

plus interdum metus aliorumque autoritas valebat quam pietas & numinis reuerentia, gladiatorio more concurrentibus.

Auxerunt hostilem hanc rabiem duces nonnulli, quibus cum ob augendas potissimum facultates expediret bellum lentius lentiusque trahi, priuatam illi utilitatem publico commo patriæque ipsi anteponentes, omnem spem pacis quoquo modo impedire conati sunt. Quorum peruersos & à candore Germano alienos mores si Promnicius imitari voluisset, emergendi occasionem toties sese offerentem, cum neque consilii neque audaciæ unquam egeret, non omisisset. Sed ille quam pecuniæ modicus constans semper fuit, animique etiam aliquanto quam pro fortuna in qua versabatur maioris. Decennio enim integro litibus propter Baronatum Plessensem detentus, sæpiusque vix non pauper, ea tamen alacritate animoque omnem aduersitatem tulit, ut didicisse se acri studio sensuque illud magnum Deoque vicinum: **NON CONCV-
TI**; in utraque fortuna ostenderet.

Tandem decreto & sententia Matthiæ & Ferdinandi, Sacratissimorum Imperatorum, adiutus, Plesse dominiū adiit. Et sub initium quidem de constituendis exactius sacris statim cogitabat; optimum se rei familiaris fundamentum iacere existimans, si pietati, pessimis hisce temporibus ferè laboranti, succurreret. Adiungebat singularis misericordiæ exemplum, captiuisque duobus capitibus reis supplicia demebat; ut qua clementia usus imposterum esset subditis ostenderet.

Ceterum, nam de reliquis vitæ eius institutis, moribus & forma etiam dicendum est, armorum scientiæ tantam civilium artium adiunxerat notitiam, ut opinionem eorum falsissimam esse ostenderet, qui militaribus ingenis deesse illud acumen, ob castrensem iurisdictionem aliquantò obtusiores, opinantur,

C

qua

quæ ad res subtiliores percipiendas requiritur. In commissis rei bellicæ munerebus disciplina grauis erat & morosus exactor, lentos excitare suetus, excitatos laudare, sua pericula temere, communiâ cauere, omnes aggrediendi hostem occasiones quærere, quas non omittere; neque illos sequi, quos in consultando viros dicas, in exequendo plus quam feminas. Ita ut in vno homine dotes illæ omnes complexæ esse viderentur, quotquot in peritum belli ducem cadere possunt.

Inter medios autem tubarum clangores & strepitum armorum tanquam in pingui solidoque otio & imperturbata publicis occupationibus quiete, exercitationibus suis locum dabat, atque hac ipsa re non tantum non segnior, verum etiam alacriori animo, exemplo erectorum ingeniorum, quæ quò plus sibi vacant, hoc vehementiores edunt impetûs, ad officium redibat. Sic in oppugnatione Slusarum & Ostendæ Gallicæ & Hispanica lingue, nam Italica cognitionem ante habebat, magistro Florione quodam, palestra item, hastiludiis, aliisque rebus equestri ordini familiaribus, operam nauabat; adeo accuratè horas curarum remissionumque, hostis otii infensissimus, diuiserat. Eodem etiam tempore à machinatoribus duobus Gallis natione, quos magnis sumptibus alebat, munire propugnacula, vallum extruere & quicquid ad hanc rem facit edoctus, tantis breui profectibus usus est, ut Mauritio vel hanc unicam ob rem longè fuerit charissimus. Machinas belli non admonere munitionibus tantum ex usu præceptorum accurato potuit; sed & ipse nouas, præcipuis artificibus in consilium vocatis, meditatus est: eiusque rei documentum, eximia quadam inuentione, marchioni legerndorffensi quondam exhibuit.

Quantum notitiæ circa pyrobolos & tela missilia ignita haberet, ad Budissinam, comes Electoris Saxonie, satis ostendit.

dit. Geometria & peritissimus fuit, & non pauca in hunc u-
sum varii generis instrumenta magnis impensis coëmit: gnarus
siquidem, si qua alia, hac potissimum arte disciplinam militarē,
in locis ad deditioem compellendis, faciendis castris, instruen-
da acie, turmis partiendis, ordinandis & iusto temporis articulo
cogendis, disponendisque machinis, maximoperè adiuuari. A-
rithmeticam ab Hindenbergio, Astronomiam à Bartholomeo
Sculteto & Mollero, quorum causa Gorlicii sex mensibus &
ultrà substitit, singulari industria didicit. Ceteris artibus
Mathematicis astrorumque scientia tantum tribuit, ut ubi-
vis locorum ex viris hanc ob rem claris de vita sua euentu fa-
toque querere sit solitus. Reliqua non minus studia liberalia
uti puer adhuc, ita posteriori etiam etate, cupide & laboriosis-
simè exercuit. Medicina scientiam & tenebat ipse, & pro-
fessores eius quibuscunque poterat modis fouebat. Chemicorum
nulli facile cessit; profusè liberalis in omnes, à quibus rari ali-
quid in hac arte doceri se posse credebat. Istos autem de circo
homines, ita enim eos nominabat, qui peritiam conficiendi ex
alia materia auri venditant, ut pro impostoribus semper habe-
bat, ita nullis argumentis adduci potuit, quin opiniones eorum
& scripta visu prosequeretur, illudque in colloquiis familiaribus
occasione sermonis sæpenumerò proferret: Alchimista quod ca-
piendum illis erat minimè ceperunt, & interim amiserunt quod
possidebant. Quam ego tamen litem meam non facio: conten-
tus illius hiscè de rebus iudicii meminisse, cuius vitam dum de-
scribo, ne minutiora quidem saluo officio præterire possum. Ve-
terinariam adeò callebat, ut consilio eius in curandis equis no-
bilibioribus amici dexterrimo successu nunquam non usi sint. Cir-
cà equos tamen perinde infelix fuit, adeò ut feruente quondam
maximè conflictu quodam in Dacia, lapsu grauissimo propè fu-
erit ut periret.

In poliendis gemmis cum quouis gemmariorum contendere poterat: & est adhuc penes amicum quendam meum instrumentum quo ad hanc rem uti solebat. Pingere præterea, vitro incidere, sculperè & celare non alienum putauit eius esse dignitatis, quam auitis imaginibus partam propria virtute auxerat; sique de statuario, pictore, vasculario aut aliis eiusmodi artibus præcellenti viro inaudisset, laetis eum conditionibus accersitum non prius dimisit, donec præclari aliquid ab eo addidicisset. Et omnia quidem harum rerum secreta, habent enim inferiores etiam disciplinæ quedam non in aperto iacentia, magna cum cura & diligentia in usus suos congescit, chartisque sua manu mandauit.

Conuiuia erat facetus multique ioci: quamuis potus nonnunquam, vehemens alias etiam more præstantissimorum ingeniorum & calidus, facillè in stomachum eruperit, quedamque non pro solita comitate sua commiserit. Itaque cum voto se quondam obstrinxisset, integro sese octennio gustare vinum nolle, promissa sanctissimè obseruauit. Vxorem, quanquam molliorem sexum, qua ciuilitate erat, singulari fauore ac beneuolentia prosequeretur, nunquam duxit: siue illum incertus vitæ militaris status primùm absterruit, siue postea cum sibi uiuere cepisset, mors præuenit. Amicis facilem se præbebat & humanum, neque quicquam eius conuersatione iucundius erat. Simulare & dissimulare, quæ vulgares aularum artes sunt, ut non nouerat, ita liberè animi sui sensa apud unumquemque proferebat, honestiusque putabat palàm offendere, quàm clam odifese. Singulari certamini temerè se nunquam commisit; immanissimos eorū mores subindè increpans, qui ob poculi unius fide minus bonæ exhausti aut leuissimæ alterius rei causam ferarum instar tela interdum stringunt, & non magistratus modo,

dò , verum ipsius etiam naturæ diuinasque leges pessimo e-
xemplo conculcant, corporisque pariter et animæ iacturam casui
caco , quem plurimum hic valere nemo ignorat, imprudenter
exponunt. Prouocatus tamen, & cum famam suam nominisque
integritatem tueri aliter sese haud posse animaduerteteret, non
alio vultu in hostem ibat, quam quo commissationibus aut amœ-
nis sodalium colloquiis interesse consueuerat. Neque unquam,
accidentibus ad alacritatem imperterritæ mentis viribus corpo-
ris etiam & exacta artis peritia, victus discessit. Valetudine
prospera erat & incorrupta, adeòque medicus optimus sua ipsius
ope rarò indigebat: nisi quod melancholiam, solenne ingenioso-
rum malum, effugere nonnunquam vix poterat. Statura fuit
penè iusta, facie decora serenaque, capillo subnigro, castis oculis,
ventre ferè proiecto, robore præcipuo, & ingenua totius corporis
pulchritudine. Ad hæc cultus accedebat; non effæminatus ille
aut mollis, néque rusticus tamen, sed virilis ac verè militaris.
Status quoque, incessus, sessio, vultus, sermo, manuumque mo-
tus eiusmodi, quibus non minus autoritatis inesset quàm gratiæ.

Mense Ianuario Anni M. D. C. XXIII. febrim na-
ctus est, remissam primò & de qua nihil mali suspicabatur; sed
que postea calore tanto exarsit, vt quassato corpore continuis e-
um vigiliis miserè attriuerit. Itaque cum periculum sentiret,
vt vitam optimè peractam laudabili etiam exitu clauderet,
mortalibus omnis, sanctis cogitationibus animum totum accom-
modauit. Et acersito statim sacrorum ministro, quedam medi-
tate instar orationis disertè admodum & nervosè protulit, quo-
rum hæc ferè summa est: Iam demum se exactius nouisse mi-
randam illam Dei qua negotia mortalium moderaretur ratio-
nem. Pauperem se paruisque facultatibus præditum sanis in-
tegrisque viribus fuisse: nunc sorte ex ævimi sententia votoque
mutata,

mutata, prosperoque rerum statu, tertia se vice uno anno decumbere. Hoc nempe fatum diuitiarum esse, ut maximas non raro miseras comites secum trahant. Et causam quidem dici facile posse; ne scilicet homines fortuna muneribus elati eorum obliuiscantur que fortunam nihil concernunt. Latiores eos ferè videri, quos illa nunquam respexit, quam quos ob hoc respexit, ut desereret. Sibi voluntatem diuinam sufficere, satis iam tot annorum cursu edocto, vitam hanc ex continuis mortibus, agrotationibus, ærumnis, metu, desiderio, dolore laboribusque constare, nec quicquam firmi vspiciam reperiri, cuius fiducia freti securam nobis tranquillitatem promittere possimus. Deum habere patrium erga nos animum; excitare liberos suos, damnis, operibus, periculis exercere, sudorem nobis & interdum lacrimas excutere. Succurere tamen maximè laborantibus, neque plus oneris imponere, quam sufferre valeant. Eadem quoque fiducia sese præditum valetudinis mala presenti animo contemnere, ultimam fati legem expectare, duci malle quam trahi.

Iubebat deinde caput decimum Danielis ex sacris literis legi; quod de viro quodam inusitata forma cultusque agit, cui, contra regem Persarum se defendenti, primus principum Michaël auxilio succurrit. Qua historia siue visu sacerdos commodè subsidii diuini presentiam referre decebat, neque alium esse hunc Michaëlem, quam Christum Iesum Conservatorem humani generis unicum. Eum ipsum etiam affuturum nunc laboranti, & non istas solum corporis molestias, verum etiam quicquid affectam mortis cogitationibus & mole vitiorum mentem premeret, opem suam imploranti amaturum.


His erectus, post medicinam animi corporis quoque con-
tem-

remnendam non esse aiebat, suumque medicum & Oppauien-
sem ac Oppoliensem vocari iubebat. Hi cum venirent, vestitus
ut consueverat obuiam illis processit, totamque morbi sui sce-
nam explicauit, Inquisito autem frustra omnium remediorum
genere, patientiam pharmacorum loco arripuit, serisque preci-
bus ad Deum conceptis idem ut astantes facerent monuit. Ma-
lo indies magis magisque serpente, veste repetita de strato profi-
liit, iisdem ferè quibus Vespasianus verbis: Militem stantem
mori oportere. Manibus subleuantium repositus, post exceptas
deuotissima pietate consolationes, magna vocis atque vultus
constantia vicisse se dixit, & sic obdormiscentis ad instar ani-
mam à Deo Optimo Maximo sibi traditam eidem sub ortum
diei reddidit. Funeratus est Plesse solenni illustrium virorum
pompa, maiorumque monumentis illatus.

Et potuisset quidem, quippe integra adhuc etate, diuti-
us superesse; sed si vitam potius, quam tempus vite, diuina-
rumque quibus preditus erat virtutum consummationem,
contemplamur, eum sanè longissimum peregit. Quid enim
astruxissent amplius felicitati eius anni aliquot, quibus elap-
sis idem faciendum fuisset, quod nunc tam placido beatoque
fine factum videmus? Paucos sanè, si fortitudinem, constan-
tiam, sapientiam & quicquid commendare mentes erectas so-
let perpendimus, pares habuit, vix ullum superiorem. Non
videt præterea magnam illius temporis partem, qua conuulsis
reipublicæ fundamentis turbatoque diuinarum humanarum-
que rerum ordine nescio an non expediat mori; viuere certè pa-
triæ amantibus molestum est. Euasit perpetuam valetudinem,
& hoc quod caducum fuit, quod instar carceris immortalia
tentantem sæpè animum retinuit, terræ, magnæ omnium ma-
tri, reddidit. Vt anima in beatas superiorum sedes transla-

204 44
ta sempiterna solidaque quiete fruatur, misericordiae divinae
servatorique suo Christo debet: famam autem nominisque in-
gentis gloriam tantum abest ut sepultam cum corpore existi-
memus, ut nunc demum eam integras vires sumpturam esse
certo credamus.

A me, qui & benigno eorum quibus unice charus erat
iussu, & admiratione maximarum virtutum ductus, vitae eius
ordinem descripsi, pauca haec habeat; quae licet aeterna non e-
runt, cum in hoc contemptu optimarum artium ne doctissimus
quidem promittere sibi tale quid audeat; extabunt tamen
aliquandiu tanquam monumentum earum rerum,
quas mali facilius carpere, quam boni
possunt imitari.



LD17

MC

QK.311

v. Pro



ILLVSTRI
SEYF
PROM
Baronis Pleff

uia, Tribellii & I
Domini,

Herois fortissim

Scripto

MARTINO




B R E

Ex Officinâ Typographica
M. DC



K. 311. Q.



d
+20

X 205 57 54

